



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

7. & 8. Triangulus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Ecquis prima rudem doceat præcepta juventam,

Quis Præses verbi, Justitiæque pater.

Cuncta Pater [a] paſcit, Gnato qui munia defert

[b] Judicis, & verum Spiritus omne [c] docet.

(a) Matt. 6. & Luc. 12. (b) Joan. 5. (c) Joan. 16.

S Y M B O L U M 6.

Trismegistus seu ter maximus.

[a] **S**is Tri-megiste procul, mentito nomine gaudes,
Maximus es mystes, maximus atque sophus.
Maximus ac Regum titulis, ter maximus audis,
Dissidet a factis gloria tanta tuis.

Vendicet hec trinum tria maxima nomina Numen,

Es minimus, sed ter maxima, sola Trias.

(a) Trismegistus fuit Mercurius ille in Ægypto nepos majoris Mercurij, quem fabulantur
fuisse filium Nili. Est autem idem, quod, ter maximus. Scilicet Philosophus, Sacerdos,
Rex maximus. Hic primus a physicis ad Divinorum speculationem dicitur se erexit, &
de Majestate Dei, a demonum ordine & animarum mutationibus sapientissime primus dis-
putasse.

N. Cato dicebatur ter optimus ut refert Plin. lib. 7. c. 27. scil. optimus orator, optimus senator, optimus imperator.

Item Carolus magnus dicebatur ter maximus, Videl. eruditio, pietate
laude bellicâ. Eginhar. in ejus vitâ.

Item Abel, primus & ter maximus tribus est dotibus: sacerdotio, martyrio,
Virginitate. Geneb. lib. 1. Anno mundi 130.

S Y M B O L U M 7.

Triangulus, Trigonos, seu Triquetrum.

Effigies Monadis Triadisque resulget in arte,
Mensuræ & numeri quoq; documenta tenet.

An-

Angulus est unus porrectus acumine trino ,

Una figura patet, forma trigona placet.

Angelos tres cerne pires, unam aspice formam :

In Triade est paritas, est Monas atque Trias.

S Y M B . 8. de eodem.

IN numeras Triadis singat mens nostra figuras ,

I Angulus effigies vera trigonus adest.

Una figura placet, trino sed acumine dispar ,

Personas referens angulis iste triplex.

Indivisi h̄erent, spatiū discriminat impar ;

In Triade est paritas, disparitasq; simul.

S Y M B O L U M 9,

Triarij apud Romanos.

ACcipe digestam Romanis legibus olim

Belli aciem, Triadis signa dedisse putes.

Velite constabat prior ordo, Tirone secundus,

Tertia pars palmæ spem Veterana dabat.

Sola Trias meritò dicenda Triaria, sola

Subsidio supereft, sola coronat opus.

N. Triarij, erant milites fortissimi, qui in legione Romana ultimi erant. Hi, si quandoque res fuisset in periculo, in fronte acierum poplitibus flexis stabant, ita ut potius animam amitterent, quam de loco decederent. Unde ortum est illud proverbium cum res sunt dubiae aut periculosæ, ad triarios ventum est; alij erant principes & tirones; primi hastati seu Velitarij .

S Y M B O L U M 10.

Tripolis, portus & civitas maris.

Mens humana poli procul exul ab urbe vagaris ,

Quid mundi immundâ figis in urbe pedem?

In-